

Spiritus Sancti dona vocantur *oculi Christi*, Zachar. iii, 9; et *Apocal. v, 6*: « Vidi, inquit, Agnum habentem oculos septem; qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram. » Vide utrobique dicta.

VERS. 13. *GENE ILLIUS SICUT AREOLÆ AROMATUM CONSISTIT A PIGMENTARIIS. LABIA EJUS LILIA DISTILLANTIA MYRRHAM PRIMAM.*

*GENE ILLIUS SICUT AREOLÆ AROMATUM CONSISTIT A PIGMENTARIIS.* — Pro *areolæ*, hebraice est מְרוּחָה *aruga*, quod Septuaginta vertunt, *phiala*; Aquila, *silibi*, quibus distinguuntur et irrigantur areolæ herbarum et florum in hortis; Pagninus, *linea silei*; Arabicus, *lacus vel piscina*; Syrus, *strata aromatum*; Noster, Tigurina, Marius et Vatablus, *areolæ*, quæ ordine pulchro disponentur et ordinantur: אֲרָח *arach* enim est *ordinare, disponere*; litteræ autem *cap*, quæ est in אֲרָח *arach*, et *ghimel*, quæ est in מְרוּחָה *aruga*, sunt affines, et ejusdem penæ soni.

Pro *consistit a pigmentariis*, hebraice est מְרוּחָה מְרוּחָה *merkahim*, quod Septuaginta vertunt, *germinantes unguentaria*; R. David et Pagninus, *fores aromatum*; Tigurina, *maxilla ejus similes sunt turribus* [id est *pyxidibus turritis*, quæ quasi parvæ turres esse videntur] *septastaria officinæ*; Marius, *sicut turres pigmentorum, vel aromatum*; Vatablus et Hortulanus, *genæ ejus similes sunt pyxidibus vel loculis, quales sunt in officinis vel tabernis unguentariis*. Syrus et Arabicus vertunt ut Vulgata. Forsterus, *genæ ejus sicut turres longinquitatum*; additque esse genus aromatis, quod a turribus habet nomen, eo quod e longinquo fragret, quasi per metathesin מְרוּחָה *merkahim*, id est *aromatum, vel aromatariorum, ponatur pro מְרוּחָה merkahim*, id est *longinquorum*. Alii, *genæ tuæ sicut sicut confectiones aromatum*. Noster pro מְרוּחָה *merkahim*, id est *pigmentariorum*, alio puncto legit מְרוּחָה *merkahim*, id est *a pigmentariis*. Rursus pro מְרוּחָה *merkahim*, id est *turres*, cum Septuaginta legit מְרוּחָה *merkahim*, id est *consistit crescentes, germinantes*.

Comparantur genæ sponsi areolis aromatum: *primo*, in forma, quia sicut areolæ sunt tumidæ et cæteræ terræ eminent, sic et genæ juvenis sponsi sunt tumidæ et carnosæ, ac præ oculis, temporibus et mento exstant eminentique. *Secundo*, in ætate, quia areolæ hæ sunt non olerum vel herbarum, sed aromatum: sic genæ sponsi sunt pretiosissime. *Tertio*, in dispositione, quia areolæ hæ affabre in rotunditatem compositæ speciem genarum exhibent; unde et subinde ab ossibus maxillarum, ab ovis, bobus, aliisve animalibus occisus acceptarum pulchre dispositas, circumcincta sepahatur et cinguntur, quales sæpe in Belgio vidi. *Quarto*, in odore, quia aromatum, id est efficacissimum et suavissimum exspirant odorem. *Quinto*, in colore, quia genæ

sponsi roseæ sunt, id est candidæ et rubicundæ; ideoque vermiculate, sicut areolæ varis floribus candidis et purpureis vermiculantur.

## PRIMUM SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Quinque hæc areolarum et genarum analogias facile est adaptare ad litteram Christo: ipsæ enim, utpote a Spiritu Sancto, optime efformati, ac in juvenili florentique ætate constituti, genæ erant tumidæ, pretiosæ, rotundæ odoratæ, atque roseæ. Alexander Magnus, teste Plutarcho in ejus *Vita*, ex genis, cute, totoque corpore miram emittebat fragrantiam, propter concoctos calore humores in corpore existentes: multo magis fragrabat corpus Christi, utpote in quo summa esset humorum harmonia, ac calor optime eos concoquens.

Genæ ergo roseæ in sponsa pudorem et verecundiam virginalem significant; in Christo vero sponso, *primo*, juventutis et florentis ætatis sunt signum; *secundo*, honestatis; *tertio*, hilaritatis *quarto*, ingenitatis; *quinto*, gravitatis et majestatis conjunctæ cum lenitate, modestiâ, et pietati exteriori ab interiore promanente, quæ eum fidelibus summe amabilem eoque ac venerabilem effiebat: ita Cassiodorus, Beda, Rupertus, Lucas abbas, et alii. Christo ergo multo magis competit id, quod Maximiano imperatori tribuit Claudius in *Panegyrico*, dicens: « In ipso vultu tuo videbam omnia signa virtutum, in fronte gravitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundie, in sermone justitiæ. Huc accedit S. Hieronymus; in calce *Commentarii in Zachariam*, qui per genas accipit sermonem Christi pietati et majestati penum, qui instar aromatis præstantissimi omnibus animæ morbis medetur, atque est velut suis areolis distinctus, id est suis materiis ex ordine dispositus, ac suis locis et temporibus sine confusione et perturbatione enuntiatus: « Laudat sponsa in *Cantico canticorum* sponsum suum; *maxilla ejus phiala aromatum*. In maxillis sermo accipitur, qui prolatus a Domino varia unguenti depromit, et tanta erit boni odoris fragrantia, ut faciat sibi Dominus flagellum de Scripturarum textuum testimoniis, et ejiciat de templo vendentes et ementes, et dicat ad eos: *Scriptum est: Domus Patris mei, domus orationis vocabitur cunctis Gentibus*; eos autem fecistis *eam omnium negotiationis*, » Matth. xxi, 12.

Parabolice, *genæ binæ* Christi sunt misericordia et justitia, juxta illud *Psal. xxiv, 10*: « Universe viæ Domini misericordia et veritas; » et *Psal. c, vers. 4*: « Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine; » et *Psal. lxxviii, 15*: « Misericordia et veritas præcedent faciem tuam; » utriusque enim in Christo insignis est, speciosa, adæquata, odorata et efficax instar aromatum. Ru-

sum tres Anonymi apud Theodoretum per *genas et areolas* accipiunt divina providentiæ rationes, quibus Deus homines aspicit, sequè amabilem eoque ac venerabilem efficit, ut omnes eum timeant et colant.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

*Primo*, genæ Christi sunt virgines, virginumque pudor et prudentia, uti dixi cap. 1, 10. *Secundo*, genæ Christi sunt martyres, qui non erubuerunt coram tyrânis confiteri nomen Christi; sed pro eo genas alapis, manus cruci, corpus flagellis, capiti gladio constanter exposuerunt, ac suo sanguine Christi faciem et genas ornarunt et purpurarunt: ita S. Gregorius. *Tertio*, genæ notant doctores, inquit Nyssenus et Anselmus, qui instar maxillarum cibos spirituales, id est sacræ Scripture sensus mandunt et ruminant, ut eos fidelibus proponant et porrigant. Hi sunt quasi *areolæ aromatum*, id est quasi terra hortensis exculpta, proferens orationem, contemplationem, aliasque cælestes virtutes; *consistit a pigmentariis*, id est ab apostolis et prophetis instructi, qui quasi pigmentarii pistillo humilitatis omnia conterunt, et ad sui mundique despicientiam reducunt, uti notat S. Anselmus; unde Hortulanus pro *consistit* vertens *pyxides*, et per eas accipiens prophetas: *Prophete*, inquit, in quibus quasi in genis et facie Christi, futura ostendere anteverit, intus quidem Sancti Spiritus donis, ceu pyxides unguentariorum optimis unguentis pleni, optimeque olescentes, foris pudibundi, cum sint ingenue pudore suffusi, quasi pyxides minio aut purpuris pictæ rubent. Huc facit versio Chaldaei, qui per duas genas accipit duas tabulas Decalogi: « *Duæ tabule*, inquit, lapideæ, quas dedit populo suo, scriptæ erant decem lineis, similibus lineis horti aromatum, quæ germinant acutissimos sensus et odores, sicut hortus germinat aromata. » Addit Theodoretus, doctores a Septuaginta vocari *phialas*, propter doctrinæ omnibus aperte et expositæ claritatem et suavitatem. Denique Philo Carpathius per *genas duas* accipit S. Scripturam utriusque Testamenti, quia in eis maxime divini sponsi natura cognoscitur. *Quarto*, Philo et Justus per *genas et areolas* accipiunt omnes sanctos aromatis, id est virtutibus fragrantæ, a pigmentariis, id est a probis predicatoribus consitas.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Christus genarum suarum, id est honestæ conversationis, modestiæ, gravitatis, pietatis decorem et fragrantiam transfudit in suam matrem, utpote cum qua conjugatus est familiarissime a puero

usque ad annum ætatis trigesimum. Vide plura, quæ de genis ejus dixi, cap. iii, vers. 3, et cap. 4, vers. 10.

## LABIA EJUS LILIA DISTILLANTIA MYRRHAM PRIMAM.

Pro *primam* Septuaginta vertunt *plenam*; Aquila, *electam*; Hebræa מְרוּחָה *over*, id est *transluentem*, quæ scilicet per omnium manus et ora transit, quia ut prima et probatissima ab omnibus laudatur, expetit et comparatur; Arabicus, *rorem plenum myrrhæ*; Syrus, *myrrham et nardum*; Almonaci per *lilia* intelligit flores, qui vulgo *irides* vocantur ob similitudinem iridis, id est arcus cælestis quoad varietatem colorum: veteres enim Iridem ponebant deam eloquentiæ; verum alii flores sunt lilia, alii Irides.

Labia sponsi comparat liliis, *primo*, ob decorem, quia elegantia sunt ut lilia; unde liliam est insigne regum Franciæ, ac olim dicebatur Junoni, dicebaturque flos Junonis, eaque ac nymphis; unde Propertius:

Sæpe tult blandis argentea lilia Nymphis.

*Secundo*, ob formam, quia leviter repanda sunt lilia. *Tertio*, ob colorem, nam exterius candida, interius rubra et splendida sunt ut lilia, quia in Syria lilia purpurea cæteris excellent, teste Plinio, lib. XXI, cap. v, et Dioscorido, lib. III, cap. cxc. *Quarto*, odore, quia odorata sunt ut lilia, ac suavissimum oris anhelitum exspirant. *Quinto*, subtilitate, quia tenuia et mollia sunt ut lilia, quod magnanimitatis, et eloquentiæ est indicium, cum labia crassa labearum hebetudinem, et tarditatem judicandi, dicendi significant; unde Moyses, *Exod. vi, 12*, vocat se *lucrum cuneisum labiis*, i. e. crassiloquum et tardiloquum; hinc et Sidonius suo Theodorico tribuit « *labia subtilia, nec dilatatis oris angulis ampliat*. » *Sexto*, liliis sua venustate omnes in sui amorem allicit, sic et labia venusta, quæ speciem habent liliorum, miram habent vim persuadendi; unde Homerius ait Trojanorum legatos eloquentissimos comedisse lilia; et de eloquentie et blandiloquio vulgo dicitur: *Rosæ loquuntur et lilia*. Ad Jæ, lilia suavem labiis et ori dant anhelitum, pelluntque venena; idem faciunt labia disertis piique oratoribus.

## PRIMUM SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Christus habuit quinque dotes laborum jam assignatas, indeque pariter in dicendo, docendo et persuadendo liliæque candorem puritatemque, ac miram habuit gratiam et efficaciam; sensus ergo est, *g. d.* Eloquia Christi casta sunt, et ad omnimodam corporis mentisque puritatem inflammantia, et crucis mortificationem prædicantia. Labia Christi igitur distillant myrrham primam, quia docent penitentiam, continentiam



mortificationem et austeritatem vite, quæ concupiscentiæ et carnis voluptatibus e diametro adversatur: prima enim prædicationis ejus hæc fuit vox, *Math. iv. 17*: « Penitentiam agite; » item, *Math. v. 3-10, 40*: « Beati pauperes spiritu. Beati mites. Beati qui lugent. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. Beati misericordes. Beati mundo corde. Beati pacifici. Beati qui persecutionem patiuntur. Diligite inimicos vestros, et benefacite his, qui oderunt vos. » Ad hæc: « Non veni pacem mittere, sed gladium. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, » *Math. x. 34 et 37*: ita Cassiodorus, Beda, Theodoretus, Rupertus et alii. Ex adverso mundus et caro labis suis distillant mel voluptatis, juxta illud, *Prov. v. 3*: « Favus distillans labia meretricis, et nitidus oleo guttur illius: novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi eladus biceps. »

Symbolice, labia Dei Patris similia liliis, sunt Filius incarnatus, et Spiritus Sanctus: hi enim Dei Patris voluntatem, et instillarunt, sanctioniam nobis annuntiarunt, et peritillarunt per myrrham mortificationis et penitentiae.

Rursum filia symbotum sunt spei, tum quia lilia sicca vivunt, crescuntque in spe coelestis solis et pluviae, inde enim assidue hauriunt suum succum, odorem, pulchritudinem, incrementum: tum quia lilia eximie florentia prænuuntia sunt future felicitatis, ait Themistius; unde Virgilius, *VI Æneid.*:

Tu Marcellus eris, manibus date lilia plena.

Vide Pierium, *Hierogl. LV, 9*: sic prædicatores habent labia liliata, quia prædicant futuram felicitatem et gloriam, ac proinde ejus intuitu et spe incitant homines ad capessendam myrrham, id est amaritudinem omnem hujus vite, quæ via est ad gloriam.

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

##### De Christo et anima sancta.

Animæ sanctæ et puræ ut lilia, sunt quasi labia Christi, quia per illas ea quæ salutis sunt, puta coelestia et divina, eloquuntur et operatur Christus, qui in eorum mente habitat; unde Chaldaeus vertit, et labia sapientum qui laborant in lege fluunt sententiis ex omni parte, et eloquium oris eorum sicut myrrha electa. Maxime vero labia Christi sunt prædicatores, ait S. Gregorius Nyssenus, Philo, Beda, Rupertus et alii: hi dicuntur lilia, tum ob candorem vite, tum quia prædicant Christi puritatem, innocentiam, sanctioniam, ejusque pariter sententia myrrham, id est mortificationem, quæ mentis a putredine concupiscentiarum et peccatorum instar myrrhæ conservat: « Quia Christi passionem loquuntur, ait S. Ambrosius, *lib. De Institut. Virg. cap. xv*, ac mortificationem

illius in suo corpore circumferunt, » *II Corinth. iv. 10*: myrrha enim prima est passio Christi, ait Richardus; unde Paulus: *I Cor. I, 23*. « Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. » Rursum myrrha prima est patientia in tormentis, ait Philo, et martyrium, hæc enim prima est dignitate: « quia nullus sic mortificatur, quomodo ille, qui pro Christo martyrio finitur, » ait S. Gregorius. Addit Lucas abbas labia Christi esse confessorios, quia per illos loquitur Christus ad cor penitentium, eisque myrrham penitentiae viteque austeritate instillat, ut vitia emendent, et emendata conservent.

Nota: « distillantia significat pretium horum laborum et myrrhæ, scilicet labia prædicantia et instillantia penitentiam, mortificationem, tribulationem et martyrium, nobis communicare passionem Christi: adeo enim hæc pretiosa sunt, ut non instar aque profundantur, sed instar myrrhæ per guttas distillent, et a Christo colligantur, ne vel punctum earum desperet. Hoc est, quod ait S. Petrus: « Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes, » *I Petr. iv. 13*; et Paulus, *II Corinth. i, 5*: « Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra. »

#### TERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

##### De Christo et B. Virgine.

De labiis B. Virginis dixi cap. III, vers. 3, de myrrha cap. I, 13. Breviter sic labia Deiparæ pingit Nicephorus, *lib. II, cap. xxiii*: « Labia, ait, florida et verborum suavitate plena. »

VERS. 14. MANUS ILLIUS TORNATILES AUREÆ, PLENE HYACINTHIS. VENTER EJUS EBURNEUS, DISTINCTUS SAPPHIRIS.

MANUS ILLIUS TORNATILES AUREÆ. — hoc est, ut Septuaginta, *τετραειρα*, id est *tornata*, hoc est affabre elaborata, ideoque rotunde, politæ, concinne, elegantes: hebraice est, *ידו יקרה גילה זאב*, id est, *revolutions, rotunditates, vel circuli auri*; Tigrina, manus ejus orbes (Vatibus, *anuli*) aurei, habentes inclusum hyacinthum; Marinus, manus ejus sunt, vel potius habent *annulos aureos*, in digitis in quorum talis inclusi erant hyacinthi: annulos enim aureos in signum decoris, sapientiæ et majestatis gestant conjugati et reges, qualis hic est sponsus. Verum quia non dicitur *digitis*, sed *manus*, hinc videtur non soli *digitis* sponsi, sed et ipsæ manus vocari *tornatiles aureæ*, quia ita affabre erant elaboratæ, politæ, perfectæ, ut aurum torno elaboratum recte viderentur: opus enim tornatum est ad amissum circinatum

et perfectum, in quo nil est, quod elimes vel deteras: sic ab Horatio vocantur versus *tornati*, id est plane elaborati et perfecti, quibus nil addas vel demas. Simili modo vocantur *teretes digiti*, id est *tornati et rotundi*, in quibus nihil est exuberans, nodosum, asperum, scabrum. *Manus ergo tornatiles* sunt carnosæ, succulente, molles, plene, politæ, perfectæ, in quibus nulla est asperitas, scabritas, macies, nodositas, durities, etc.

PLENE HYACINTHIS. — Pro *hyacinthis*, uti vertit et Symmachus, hebraice est *תורשית tharsis*, quod mare et gemmam marini coloris significat. Noster alibi passim vertit, *chrysolitum*, qui est partium aurei, partium marini coloris: ita vertit, *Exod. xxviii, 20*, et cap. xxxix, 13; *Ezech. x, vers. 9*, et cap. xxviii, 13: sic et Aquila et sexta editio; Septuaginta vero *tharsis* in Exodo vertunt *chrysolitum*, in Ezechiele vero *carbunculum*: nimirum apud Hebræos nomina gemmarum, arborum, animalium communia sunt multis, pluresque eorum species significant. Nihilominus hic per *hyacinthos* accipit possent chrysolithi: licet enim priscorum hyacinthi fuerint sapphiri, qui celestis sunt coloris; unde mox venter sponsi hic dicitur distinctus sapphiris; tamen moderni hyacinthi (qui scilicet vulgo jam vocantur *hyacinthi*), cum sint coloris aurei et melles, vere chrysolithi sunt; ut ostendi *Apocal. cap. xxi, vers. 20*, in hyacintho; *chrysolithus* autem est aurei et vitrei, id est marini coloris: quia enim aureus color in eo non opacatur, sed pellucet, hinc quasi vitreus est, et marinus.

Porro Septuaginta hic vocem hebræam *tharsis* retinent vertuntque *plena tharsis*; Arabicus, *plena auro tharsis*; Syrus, *lapidibus auri*. Jam Chaldaeus per *tharsis* accipit duodecim gemmas, indices duodecim tribuum Israel: sic enim vertit: « Et duodecim tribus Jacob servi ejus, dispositæ erant per circuitum in lamina coronæ aureæ sanctæ, sculptæ in duodecim margaritis cum tribus patribus mundi, Abraham, Isaac et Jacob. Ruben sculptus erat in lapide sardio, Simeon in lapide topazio, Levi in sapphiro, Juda in carbunculo, Issachar in smaragdo, Zabulon in jaspide, Dan in beryllo, Nephthalim in achate, Gad in amethysto, Aser in chrysolitho, Joseph in onychino, Benjamin in ligurio, qui similes erant duodecim signis celestibus lucidi sicut lampæ, et politi in operibus suis sicut elephalitis, et splendentes sicut gemmæ. »

#### PRIMUM SENSUS

##### ADEQUATUS,

##### De Christo et Ecclesia.

Ad litteram significat Salomonis, ac magis Christi manus fuisse nitescentes, elegantes et quasi torno politas, hoc est delicatas et molles, quales habent ingentibus et liberales, digitis paulo longioribus, et invicem distantibus orbiculis, vel arti-

culis digitorum generosis; ad hæc brachiis paulo ductioribus, qualia habuisse Alexandrum Magnum, Artaxerxem, Dariam, qui longiniani fuerant tradunt Strabo æteterique historici: ita Pineda, *lib. VI De Robus Salomonis, cap. iv, num. 10*.

Symbolice, manus est Christus, ejusque operatio et beneficentia divina: manus enim dicitur a *manando*, quod manet e brachiis, et ex ipsa manent digiti: sic Christus qua Deus manata Patre et ex eo manat Spiritus Sanctus auctor bonorum omnium; hinc manus Christi sunt *tornatiles*, id est opera Christi sunt undique, omnique ex parte polita et perfecta, ita ut nil eis possit adimere vel addere, juxta illud, *Psalm. cx, 3*: « Confessio et magnificentia opus ejus; » et illud, *Marc. vii, 37*: « Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui; » licet enim Pharisei assidue per dies et noctes non aliud cogitent, quam calumniari opera Christi, in eisque aliquem navum invenire, tamen nullum reperire poterunt: unde Glossa Interlinearis: « *Manus Christi tornatiles*, hoc est, inquit, in nullo reprehensibiles. »

Maxime vero manus Christi dicuntur *tornatiles*, id est versatiles (*גלגל galal* enim est *volvare, revolvare, revolvere*) et agiles ad omne bonum omnemque beneficentiam, ait Justus Orgelianus, quia assidue se versabant et volebant ad omnigena opera misericordie: nunc enim suscitabant mortuos, nunc illuminabant cæcos, nunc multiplicabant panes, nunc aquam mutabant in vinum, nunc Eucharistiam dabant, etc. Tales debent esse manus christianorum, quales fuerit B. Theresiæ, quæ votum edidit se in omni opere facturam id, quod foret melius et perfectius. Manus ergo Christi tornatiles ad omne bonum indicabant latentem in eis omnipotentiam et beneficentiam Divinitatis. Addunt Cassiodorus, Beda et Rupertus *tornatiles* dici ob velocitatem operandi et benefaciendi, quia quod torno fit, velocissime fit: nam « bis dat, qui cito dat. »

Sunt *aureæ*, quia plena charitate, et quia manant a Divinitate, quæ rebus omnibus eminent, uti aurum cæteris metallis; unde S. Gregorius: « Manus Christi sunt aureæ, inquit, quia quidquid exterius operabatur, interius in divinitatis pulchritudine disponebatur. » Sunt *plene hyacinthis*, scilicet ungues digitorum in carne Christi rossi, et quasi pellicentes erant, velut hyacinthi in annulo; manibus ergo Christi pulcherrimis venustatem addunt, ait Pineda, ungues instar gemmarum, florumque purpurascensium, qui non lividi aut obscuri, non pallidi, nigri, recurvi, quales rapacium, lividorum et malignorum; sed subtiles, delicatiores, pellicidi, paulo labores, et sanguinem, animumque clariorem dellescentem purpureo nitore representantes.

Unde Polemon: Ungues, ait, lati, albi et subrufi indices sunt boni ingenii; item animi liberales et benefici, adeo ut se depauperet, ut alias locupletet, ut fecit Christus pauperem manus in



tabulo, et vivens in mundo, ut nos sua paupertate dilaret, ut ait Apostolus, II Corinth. vii, 9. Hoc notat hebraeus *Tharsis*, quod derivatur a *שָׁרִישׁ*, *rashch*, id est *depererunt*; hinc Pineda veritatem *manus ejus* (adeo liberales, omnia erogantes) plena *sunt tharsis*, id est paupertate.

Symbolice, manus Christi plene sunt hyacinthis, quia opera Christi erant caelestia, ait Angelomus, ac homines ad spem et amorem caelestium excitaverunt: hyacinthus enim caelestis est coloris. Rursum, *hyacinthi* significant opera Christi, cur scilicet tali loco, tempore, modo, etc. fierent, fuisse plena caelestibus, divinisque rationibus, consiliis, intentionibus, quod nimirum omnia faceret ad gloriam Patris, et ut homines excitaret ad bona caelestia ambienda, promittendo eis vitam aeternam, si suam doctrinam et vitam sequerentur. Psaltes canit *Psal. cx, 1*: « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio iustorum et congregatione. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus; » et *Psal. cxxxviii, 14*: « Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis: » ita S. Gregorius, Cassiodorus, Philo, Bada, Justus, Rupertus et alii. Addit Theodoretus: « *Manus*, inquit, eas virtutes vocat, quae in actione consistunt, quas omnibus officiis sigillatim ita diligenter excoluit, ut inde veluti concentus quidam resultaret: quamobrem ad Joannem *Sine*, ait, modo: *sic enim docet nos implere omnem justitiam*, Matth. iii, 15. *Aureas* appellat, ut pretiosas et extimias, nam et *Tharsis* propter auri praestantiam posuit, illic enim dicit Scriptura sincerum et purum, ac probatum aurum deferri. »

Allegorice Philo Carpathius haec applicat manibus Christi crucifixi: « *Tunc*, inquit, *ternatiles* factae sunt Christi *manus*, quando is illas extendit in cruce, quando eae clavis perforatae fuerunt, quae ob Christi divinitatem, puritatem atque potentiam *aureae* dicuntur; *plena* vero dicuntur *tharsis* ob multitudinem gentilium conversorum: *Tharsis* enim, inquit Philo, *conversio gaudii* interpretatur; et cum Christus in cruce manus extendit, gentium Ecclesiam magno cum gaudio conversa est. » Adicit Cassiodorus manus Christi sanguine purpuratas fuisse similes flori hyacintho, qui est purpurei coloris; verum hic *hyacinthus* gemmam, non florem significat. Sed et inter gemmas sunt hyacinthi roscoscentes, teste Dioscoride qui representant sanguinem Christi. Adde hebraeus *tharsis* a Septuaginta in Ezechiele vocatur *carbunculum*. Si ale hoc loco veritas, dicas Christi manus plenas fuisse tot carbunculis, quot insignite erant plagis *vibethusque* funium et flagellorum.

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Manus Christi ternatiles sunt manus fidelium,

quia vacant actioni, instar sanctae Marthae, puta elemosynas ceterisque operibus misericordiae: unde olim manus Christi et Ecclesiae erant S. Stephanus caeterique diaconi: par hos enim bona Ecclesiae in fideles et pauperes distribuuntur. Haec manus debent esse *ternatiles*, ut nil in eis sit vitiosus affectus vel respectus, sed undequaque sint perfecta virtutibus, ut sint opera *terno*, id est aeternitati elaborata: aeternitas autem est circulus, in quo nihil inaequale est, nihil eminet vel deficit, sed omnia in orbem perfectum eunt, et eodem redeunt. Qui ergo dat elemosynam, illam dat aeternitati, Doctque aeterno, ut ab homine non quaerat retributionem, sed a solo Deo immensam et sempiternam; sic habebit elemosyna colorum hyacinthi, hebraice *tharsis*, qui nil habet terrenum, sed ab omni fece terrena toro quasi resecus et politus, lotus est lucidus et caelestis, ait Nyssenus; unde horum manus sunt *aureae*, quia lucent per divinam sapientiam, et *plena hyacinthis*, quia quidquid agunt, id agunt spe et amore bonorum caelestium, non terrenorum, ait Richardus Victorinus.

#### TERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Omnia haec ad aptes B. Virginis: quales enim fuere manus Christi, tales fuere et B. Virginis, imo ipsa in utero manus Christi juxta suos efformavit; unde Nicephorus, lib. II, cap. xxiii, docet B. Virginem manus et digitos habuisse longiores quales sunt ternatiles; et tales nobis exhibent imagines Deiparae a S. Lucae depictae, quas Romae in basilica S. Mariae Majoris, et in templo B. Virginis in Via lata, etc. conspiciunt et venerantur. Quocirca Dionysius Carthusianus, lib. I *De Laud. Virg.*, art. 35: « A planta, inquit, pedis usque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecens, reprehensibile, indecorum: imo totum fuit divinae sapientiae circino formatum, pulcherrime circumcissum ab omni superfluitate, plenissime ac speciosissime operatum: nempe sicut Christi humanitatem propter ejus personalem cum Deo unionem, decuit omni perfectione naturae et gratiae perfulgere, ita ipsius genitricis personam post unigeniti sui humanitatem, oportuit in omnibus esse ornari, quoniam post hypostaticam cum Deo conjunctionem non est alia tam vicinia, ut amae matris Dei cum Deo filio suo. »

Rursum *manus*, id est omnia opera B. Virginis erant *ternata*, id est exacta et perfecta, *aurea* per charitatem, *hyacinthina* per caelestium desiderium: imo manus ejus erant quasi manus Spiritus Sancti, qui per manus ejus operabatur: Spiritus Sanctus enim digitus est et manus Dei Patris et Filii, hi enim per Spiritum Sanctum opera sanctitatis in hominibus et angelis operantur;

unde Christus ait, *Luc. cap. xi, vers. 20*: « Si in digito Dei ejectione demonia, profecto pervenit in vos regnum Dei: » in digito Dei, id est « in spiritu Dei, » uti explicat S. Mattheus, cap. xii, vers. 28, puta vi et virtute Spiritus Sancti. Denique manus B. Virginis sunt *ternatiles*, id est versatiles, agiles et expeditae ad praestanda quaevis beneficia, hominibus praesertim devote eam colentibus et invocantibus, uti exempla innumera testantur.

#### VENTER EJUS EBURNEUS, DISTINCTUS SAPPHIRIS.

Hebraea, *viscera ejus*, *רִצְוֵי עֶשֶׂת*, id est *nitro*, *candor*, *polities eboris* (Marius *ebur perpolitum*, R. Abraham *ras eboris*, S. Hieronymus in cap. II Ezechielis *tabula eburnea*, *cooperius sapphiris*. *Viscera*, id est intestina, puta venter, qui continet cor, jejun, hepatis, etc.): Septuaginta, *venter ejus pyxis*, *vel tabula* (utrumque enim significat *αδελφ*) *eburnea super lapidem sapphirum*, *vel in lapide sapphira*; Arabice, *venter ejus ut tabula eburnea* (Syrus, *opus eburneum*). In gemma *succini et margaritarum*; Pagninus, *venter ejus ut candidum ebur, obductus sapphiris*; Valabius, *viscera ejus ut alabastrum eburneum contextum sapphiris*. Per ventrem ergo totum pectus cum visceribus accipe. *Sapphirus* gemma est caerulei sive caelestis coloris, aureis panetis quasi stellis collocens, ait Plinius lib. XXXVII, cap. II. Vide plura, quae de sapphiro dixi, *Apocal. cap. xxi, 19*.

Grammaticae haec de Salomone, qui typus, imo parens fuit Christi, ita exponit noster Pineda, lib. VI *De Rebus Salomonis*, cap. IV, num. 7: Pectus et thorax, in quo vitia omnia, candida velut pyxidicula eboris, aptissima forma efficta ad servanda viscera, cor, vitia omnia; si quid enim vitii foret in pectore, dorso, costis, et aliis partibus quae circa cor sunt, insigniter dehonestaret pulchritudinem corporis et morum; ergo quemadmodum pyxidicula non est valde lata, non stricta nimium et neque nimium crassa, neque nimium gracilis, ita sane pectus sponsi ventre paulo laxiori refert ventrem pyxididis, pectore vero strictiori refert partem superiorem pyxididis paulo angustiore. Aristoteles ad *Alexandrum*: « *Mediocritas ventris et pectoris strictura significat altitudinem intellectus et boni consilii*: » itaque neque habuit pectus valde carnosum, neque fuit ventricosus, quae sunt habetum, inertium et minime solertium: non nimium gracile, sed idoneum sapientiae et cordis domicilium; tum et ventrem ad partem cinguli congestum, ut strictus cingi posset, quod animosorum et solertium, et qualem Sidonius in suo *Theodorico*: « *In succinosis regnat vigor illibus*, » etc. Et rursus in *Panegyricis Majorani*: « *Angustam suspendit balteus alvum*. » Et vero quid in pectore sapphiri? certe si ad naturae ornamenta referantur, erunt in candido pectore nevi aliquid: sed sine rebo etiam perfectissimus, si tantummodo in nevi in sponso videbantur

sapphiri, et maculae illi erant lumina: quare et de illo dici potuit:

Nullus in egregio corpore nervus erat.

Rursum pectus continens ventrem in Christo erat nitidum ut ebur et alabastrum, idem tamen pulchre inspersum erat venulis ac musculorum et costarum umbris viventibus, et quasi lucentibus, ita ut sapphiris in expunctum et distinctum videretur. Alii cum Lyrano et Aber-Ezia ventrem intelligunt non nudum, hunc enim ostendere vel pingere coram puellis adolescentulis, ad quas hic est sermo, inverecundum videtur, sed tertium et vestitum, vel zona eburnea sapphiris distincta, ut vult Aber-Ezia, vel simili ornamento: sicut reges Persarum medium vestis purpureae albo, et quasi eburneo intexebant, teste Cartio, ut censet noster Sanchez, et dicit Gieslerius: Thorax, inquit, quo sponsus induebatur erat candidus instar eboris, sed segmentis sericis coloris caerulei ornabatur, ita ut sapphiris distinctus videretur; ait, *q. d.* Thorax erat albo nitidusque ut ebur, sed zona sapphiris plena cingebatur. Malim ego utrumque jungere, scilicet laudari Salomonem tum a pectore candido, sed venulis velut sapphiris insperso: tum a thorace pectus vestiente pariter candido, sed sapphiris distincto: hunc enim videre poterant adolescentulae, *q. d.* Qualis est vestis visae thorax sponsi, tale pariter est ejus pectus. Unde Pineda, lib. VI *De Rebus Salomonis*, cap. V, docet vestes Salomonis fuisse auratas, sed intertextu illorum candidatas et liliatas. Plus satis haec de cortice littere quoad speciem ventris, ne homines animales in venerem prout, hic carnalia cogitent et concipiunt. Ad spiritum ergo et spiritualia transcamus.

#### PRIMUS SENSUS

##### ADEQUATUS,

De Christo et Ecclesia.

*Venter*, id est pectus et viscera Christi, notant Christi passiones, et affectus omnes internos fuisse puros et candidos, castos et virgineos, aequae ac osseos et fortes instar eboris, imo divinos et caelestes instar sapphiri, ita ut nulla in eis esset inordinatio, perturbatio, pugna, vel licita aequae ac nulla debilitas vel infirmitas, sed omnes sinceri forent, compositi, constantes et solidi: in visceribus enim est *hepar*, in quo residet sanguis, indeque appetitus concupiscibilis, ejusque affectus et concupiscentias; et *fel*, in quo residet cholera, ideoque appetitus irascibilis, ejusque ira et indignationes; et *spen*, in quo residet humor melancholicus, indeque tristitia; et *cor*, in quo residet vitalis spiritus, indeque sapientia, *q. d.* in corpore Christi omnia viscera, indeque omnes affectus, tam facultatis concupiscibilis, quam irascibilis, erant puri et candidi, ideoque inter se compositi, pacifici, constantes et firmi, quia omnia regebat sapientia cordis, quod ipse in pectore



reatum et divinum gestabat. Hinc erat *distinctus sapphiris*, id est celestibus cogitationibus, desideris et intentionibus, ut quidquid cogitaret, diceret, ageret, oculum et Deum, Deique gloriam ac hominum amorem spectare videretur: *sapphiris* enim est gemma celestis coloris, aureis guttulis interlucentibus. Quocirca Christus non erat tristis, ut ait Isaias, cap. XLIV, 4, nec in risum effusus, sed moderate letus, non iracundus, nec phlegmaticus, sed moderate gravis, etc., adeoque totus compositus et creatus, ut non tam homo, quam angelus esse videretur: Ita Nyssenus, *hom. 14, Cassiodorus*. Beda et alii.

Hinc multi per Christi *ventrem*, vel ut hebraice est, *viscera*, accipiunt Christi misericordiam: hujus enim sedes et symbolum sunt viscera, unde in commiseratione viscera commoventur. *g. d.* Venter et viscera Christi sunt quasi pyxis eburnea misericordiae, in qua contra omnes miseriae remedia et pharmaca efficacissima continentur, quae ipse in miseris quolibet se invocant, non saepe non invocant, sed innoxios et incogitantes effundit, ut eos mentis sanitati, sanctitalique restituat. Christi ergo venter est quasi unguentarium nathanaei continens medicinas, aromata et unguenta omni generis, ad sanandas quaslibet corporis et animi egrotudines. Hoc est, quod Zacharias in actu Joannis Baptistae, qui Christi fuit praecursor et index, canit de Christo jam in Virgine incarnato: « Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto, » *Luc. 1, 78.*

Symbolice, *primo*, Filius qua Deus deitatem a Patre accepit, est quasi pyxis divina, in qua Deus omnia sua divina attributa collocavit, juxta illud, *Psal. cix, 3*: « Ex utero ante Luciferum genui: » uterus enim, sive venter Dei Patris est mens et sapientia, qua Verbum concepit, id est, Filium ab aeterno generavit: ita Joannes Carmelita: « Verbum aeternum, inquit, rerum universarum rationes in ore cujusdam uteri receptas habens, est velut venter candidus, laevis et praegnavus, et in eo quasi plures sapphiri, distincte rerum rationes inveniunt. » Sic et Almonacius. *Secundo*, humanitas Christi licet ex natura sua carnea, terrea, atra et infirma, in Christo tamen per gratiam Spiritus Sancti et inhabitantem divinitatem facta est quasi ebur candida per innocentiam et virginitatem, ossa illud, *Hebr. cap. iv, 13 et vii, 26*: « Non habemus Pontificem, qui non possit committi infirmitatibus nostris: tentatum per omnia vxo similitudine absque peccato: talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus: » ita Cassiodorus, Beda et Rupertus, qui sic explicant, *g. d.* « Fragilitas quidem in illo substantiae mortalis vera erat, sed haec lasciviae mortalitatis peccatis expers, divinorum potius operum splendida clarescit insignibus; et bene *distinctus* hic venter *sapphiris* asseritur, quia

interpassiones assumptae humanitatis crebra exhibebat indicia perpetuae divinitatis: » hinc alii per *ventrem* Christi accipiunt plebem christianam, quae tenera est, crassa et radis ut venter; haec tamen per gratiam Christi fit candida et robusta ut ebur, ac spiritalis et coelestis ut sapphiris: sicut enim per Christi *caput* praedicatorum, per *coram* religiosos, per *labia* praedicatores; per *genus* virgines, sic per *ventrem* accipit fideles plebesque, praesertim conjugatos, qui in conjugio servant candorem pudicitiae et fecunditatem conjugii, ut proles Christo generent et educunt: venter enim sedes est generationis et virtutis generativae. Conjuges ergo distincti sunt sapphiris, quia caelestia cogitant; divisi igitur sunt, quia partim carni, partim Deo servant: ita S. Anselmus, Richardus de S. Victore et Cosmas Damianus.

Anagogice S. Gregorius per *ventrem* Christi accipit ejus mortalitatem, per *ebur* immortalitatem quam sibi et nobis promeruit: « Ebur quippe, inquit, valde durabile os habetur, et in ornamenta regum assumitur; venter ergo Christi *eburneus* esse dicitur, quia mortalitas Christi ad immortalitatem perducitur, dum per resurrectionem ad gloriam Patris sui, Regis videlicet ascendit, in vita aeterna collocatur; » et post nonnulla: « Qui vere in ornamento regum assumitur; quia quisquis carnis suae rex et dominus esse probatur, ipsius Christi mortalitate et resurrectione, amore cognitionis, et spe immortalitatis ornatur; unde alibi dicitur, *I Corinth. i, 31*: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur*; sed venter *distinctus sapphiris* esse perhibetur, quia in nostra corruptione, quam portavit, caelestia opera per miracula, quae faciebat, passionibus nostris inseruit. »

Mystice tres Anonymi apud Theodorem per *ventrem* accipiunt sapientiam Dei, quae cum in se sit coelestis et divina ut sapphiris, tamen a Deo impressa, et quasi descripta est in hoc universo a se creato, velut in tabula eburnea purissima et nitidissima.

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Anima sancta habet pectus et ventrem eburneum, cum omnes animae appetitus juxta rationem et legem Dei ordinat, componit et corroborat, imo excolit et expolit: hebraeorum enim *עֵשֶׂת* *eschet* significat *nitorem* et opus politum, quae est ebur, hoc enim nitidissimum et politissimum est. Animae ergo sanctae student, non tam *tam* honeste et sancte, sed et polite ac elegantius omnes suos affectus in mente componere, in eaque omnia opera sua disponere, ut licet communia faciant, quae et caeteri, tamen praeter caeteris in actionibus eorum reluceat quaedam singularis elegantia et gratia, ut opus commune in eis politum, singulare et eximium esse videatur, juxta illud, *Ecl. lxxxix, vers. 23*: « In omnibus operibus tuis praecellens

esto. » Ita videmus in religione nonnullos accuratos et insignes, qui in vita communi et regulata observatione excellunt: singula enim obeunt mira alacritate, dexteritate, elegantia, perfectione, ut etiam idem agant quod alii, tamen praeter illis excellent, imo novum quid et singulare agere videantur, quia commune agunt novo quodam et singulari modo ac decore.

Cogita quam polite, exacte ac concinne in omnibus suis actionibus clerici serviant pontifici, aulici imperatori, famuli principi et regi; quid ergo te facere decet, qui servis divinae Majestati, quae est Rex regum, et Dominus dominantium? Appelles, rogatus cur tam morose et exacte pingeret, respondit: *Pingo aeternitati*: ita et tu agis, et visis aeternitati; vide ergo ut opus tuum sit nitidum ut ebur, fulgidum ut sapphiris, quod in aeternum coram Deo et angelis resplendeat oportet: cogita qua venustate, quo decore Deo ministrant archangeli, cherubini et seraphini, eadem et tu ministra eidem Deo, quod enim angeli agunt in caelo, hoc tu agis in terra.

Hinc Nyssenus, legens ex Septuaginta, *venter* ut tabella eburnea in lapide sapphiro, docet cor sit esse tabulam, in qua descripta est lex Dei quasi in ebore et sapphiro, id est in mente purissima et coelesti. Huc accedit Theodoretus, qui pro *tabula vertens pyxidem* (utrumque enim significat *grecum pyxis*), per eam accipit Sacram Scripturam, quae profunda est instar pyxidum ob mysteria arcanis, quae continet; et Philo Carpathius qui per *pyxidem eburneam* accipit legem veterem, per *sapphirum* vero legem novam, quae tantum praecellit veteri, quantum sapphirus ebori. Addit Philo *ventrem* esse mentem justae, in qua, quasi in pyxide eburnea nitidissima, eloquia sacrae Scripturae et sapientiae divinae recondita sunt.

Symbolice, Justus et Lucas abbas per *ventrem eburneum* accipiunt praedicatores, quia ipsi et multi alii per omnia haec emblemata capitis, comae, genarum, labiorum, etc., accipiunt praedicatores, qui predicando Ecclesiam propagant. Verum hoc nimis generale et amplum videtur, quare praestat haec dispartiri et singula singulis statibus apposite accommodare: quid enim habet venter commune cum praedicatoribus? nisi dicas in ventre esse pulmones, qui quasi folles spiritum subministrando, formationi vocis et consequenter praedicationi subserviunt; aut praedicatoribus cibum verbi Dei in mente ruminare, ut eum fidelibus predicando disperfant, sicut esca in ventre concoquitur, et concocta per membra distribuitur; unde hoc ventris apologo Menenius Agrippa plebem a senatu dissidentem illi reconciliavit Romae in monte Aventino.

#### TERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Christi venter est eburneus distinctus sapphiris,

ergo et talis fuit venter B. Virginis, utpote ex quo totus Christus quantus quantus prodit: quocirca omnes ejus cogitationes et affectus, indeque prodeuntes actiones, erant candidissimas, et purissimas ut ebur, ac fulgidissimas ut sapphiris. Addit Rupertus *ventrem* et carnem Christi (ac consequenter et B. Virginis) mundiorum fuisse carne caeterorum hominum, quia ipse pulchritudo generis humani: « Vire pulcher, inquit, et devotus venter eburneus, quia sicut ebur magni corporis, scilicet elephantis, tota pulchritudo totumque pretium est: sic iste venter, videlicet humanitas sive caro, quam ex genere humano assumpsit, totus mundi, maximeque generis Abraham, de cujus semine nasci voluit, decus et gloria est. Pulchrius nimirum atque pretiosius est ebur carne vel corpore reliquo, de quo sumptum est; et nihilominus caro dilecti hujus pulchrior, mundior et incomparabiliter sanctior est omni massa, cujus ex semine sumpta est. » Subjicit deinde quod exinde B. Virgo fuerit mater in concepta *intacta*, in partu et post partum *illusa* et *integra*. Per *sapphiris* accipit Christi virtutes et miracula, quibus licet patiens in carne et crucifixus suam tamen divinitatem orbi ostendebat: nam « dum compungeretur, inquit, hic venter clavis et lancea militis, oculum obscuratum est, et tenebrae factae sunt, et velum templi scissum est, et terra mota est, et petrae scissae, et monumenta aperta sunt. »

VERS. 15. CRURA ILLIUS COLUMNAE MARMORAE, QUAE FUNDATAE SUNT SUPER BASES AUREAS. SPECIES ERAT UT LIBANI, ELECTUS UT CEDRI.

CRURA ILLIUS COLUMNAE MARMORAE, QUAE FUNDATAE SUNT SUPER BASES AUREAS. — Hebraice *12 paz*, id est ex auro paz, vel *ophaz*, quod erat praestantissimum, ut superius dixi. Pro *marmore* Aquila et Theodoton vertunt, *paris*; Paris enim insula est una ex Cycladibus, ex qua parius lapis marmoreus candidissimus et praestantissimus eruitur; unde Virgilius, *I Aeneid.*

Parivse lapis circumdatur auro.

Crura sponsi commendat a candore, rectitudine, justa crassitudine et robore, quod candida sint, recta, crassa et robusta instar columnae e marmore et pario lapide; illaque adolescentulae facile videre poterant, quia olim veteres Hebraei, Graeci et Romani sine femoralibus et sibilibus nudis incedebant tibiis et genibus, ac plantam duntaxat pedis tegebant calcis, sive sandaliis, quae *caligae* vocabant, uti ostendi, *Aetor. xii, 8*, ad illa: « Calceae te caligas tuas. » Sponsus ergo tibiis habebat candidas et fortes, ut viderentur esse binae columnae parie fundatae super bases aureas, id est super pedes, qui quasi fulcra et bases sunt tibiarum; pedes, inquam, vestitos et ornatos calcis auratis, sive auro gemmisque distinctos: veteres enim calcos auro gemmisque decorasse docet Plinius, *lib. IX, cap. xxxv, et lib. XXXVII,*



cap. II : sic Demetrium auratis incessisse calcis testatur Plutarchus in ejus *Vita*, Heliogabalum eidem addidisse gemmas testatur Lampridius, Dioctetianum Eutropius, Caninum Vopiscus. Porro crura instrumenta sunt incessus : quare crura marmorea fundata in basibus, id est pedibus et calcibus auratis, significant incessum gravem, elegantem et regium, qualis erat Salomonis, in quo scilicet sit species auctoritatis et gravitatis vestigium, ut ait S. Ambrosius, lib. I *Officiorum*, nam, ut ait Ecclesiasticus, cap. XIX, vers. 27 : « Ingressus hominis enuntiat de illo, » et internam animi gravitatem vel levitatem, prudentiam vel stultitiam, virtutem vel vitium significant.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS.

## De Christo et Ecclesia.

Crura symbolum sunt ingressus et progressus; significant ergo Christi itinera, incessus et profectioes, quibus per se Judeam, per apostolos vero et viros apostolicos omnes gentes evangelizando obivit et circumivit, fuisse puras, rectas, fortes et validas, ita ut nemo eas sistere, remorari vel impedire posset : Christus enim sua vi et potentia omnes Evangelii hostes, remoras et impedimenta disiecit, adeoque ipsos tyrannos et principes illi obstantes ad se convertit et christianos effecit : horum enim Christi pedum bases erant aureae, quia innoxie divinitatis ejusdem (hanc enim representat aurum) ejusque divinis consiliis, decretis et praedestinationibus aeternis et immutabilibus. Hinc multi per columnas hasce accipiunt apostolos et viros apostolicos, qui quasi pedes Christum detulere per totum orbem, adeo fortes et robusti, ut columnae marmoreae esse viderantur, fundatae super bases aureas, tum Christi, *Epist. II*, 20, tum charitatis : charitas enim est quasi aurum solidissimum, quod pedes hosce suffulcit, eosque robustos et invictos instar marmoris efficit : ita S. Gregorius Nyssenus, Philo et S. Ambrosius in *Psal. cxviii*, serm. 3; hinc apostoli vocantur *columnae et fundamenta Ecclesiae*, *Galat. II*, 9; *Epist. II*, 20; ac nominatim S. Petrus (de quo haec accipit Theodoretus) promisit Christum, *Matth. xxi*, 42 : « Tu es Petrus, et super hanc petram (id est super te) edificabo Ecclesiam meam. »

Symbolica duo crura Christi sunt misericordia et justitia : misericordia enim convertit et beavit credentes, sibi que obsequentes; justitia reprobat et damnavit incredulos, sibi que inobedientes. Rursum justitia castigavit senescentis Ecclesiae defectus, ut illam priori nitore et sanctitati restituat (agitur enim hic de Ecclesia senecta, uti superius dixi); castigavit, inquam, per religiosos et viros apostolicos, quos quasi « formatores Ecclesiae suscitavit, uti fuere S. Basilius, S. Augusti-

nus, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Romualdus, S. Franciscus et S. Dominicus. Audi Rupertum : « Crura illius viae sunt illius, scilicet misericordia et iudicium, sive misericordia et veritas, sicut ait Psalmista, *Psal. xxiv*, 10 : *Universa via Domini, misericordia et veritas* : nam veritas ipsa est iudicium verum. Crura ista, viae istae, *columnae marmoreae*, id est rectissima sunt atque firmissima, nec est qui posset eas infirmare, aut juste reprehendere : nam *justicia Domini vera, justificata in semetipsa*, *Psal. cxviii*, 40. Exempli gratia : Loco vel tempore supradicto, cum penderet dilectus iste crucifixus latronum duorum mediis, alterum ex eis penitentem misericorditer suscepit, secumque in paradysum assumpsit, alterum blasphemantem iudicio justo reprobat. » Et post nonnulla : « *Bases aureae consilia sunt divinae sapientiae.* » Eorum deinde subdit exemplum : « *Flere potuit super civitatem Jerusalem, subversionem et damnationem suae gentis praevidens, et tamen animum suum inducere non potuit, ut avertret ab eis iram imminentem : stabant quippe inflexibilia crura ejus tanquam columnae marmoreae super bases aureas, id est, non quilibet esset humanitas suae voluntas, sed divinae justitiae rationes attendebat.* »

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS.

## De Christo et anima sancta.

Crura Christi et Ecclesiae, quae ejus fidelem, religionem et virtutem sustentant docendo, predicando, confessiones audiendo, etc., ad haereticos, Japones et Indos convertendos proficiscendo, etc., propagant et promovent, sunt viri religiosi et apostolici : hi per constantiam sunt erecti quasi columnae, ut nulla spe vel metu a recto deflectant; per fortitudinem sunt robusti ut marmor, per charitatem fulgent ut aurum, ac simul per eandem solidantur, ita ut alios in fide et pietate consolident : ita Richardus de S. Victore.

Huc accedit Lucas abbas, qui per crura Ecclesiae accipit humiles : hi enim, inquit, se humiliando tante efficiuntur fortitudinis, ut omnia membra subvelant capiti, ut significavit per *Prophetam*, dicens, *Isa. lxxvi*, 2 : « *Ad quae respiciam, nisi ad pauperulum et contritum spiritum, et trementem sermones meos?* » et in se continent similitudinem illius petrae, de qua Paulus, *I Corinth. x*, 4 : « *Petra autem erit Christus, et humilium vero bases aureae esse asserit humilitatem prophetarum veterumque sanctorum : hi enim basibus posteriorum et securitibus humilitatis innititur et fulcitur.*

Denique Joannes et S. Anselmus per crura accipiunt quoslibet sanctos, qui Ecclesiam sua sanctitate et charitate suffulcunt; in quibus promota inhabitat et graditur Christus; unde S. Ambrosius, lib. III *De Fide*, x : « *Crura, inquit, columnae marmoreae, etc.; solus enim Christus inambulat*

animis et graditur in mente sanctorum, in quibus vejliti aureis basibus, fundamentisque pretiosis, solidata vestigia Verbi coelestis haerent. »

Hinc symbolice Nyssenus, *hanc. II*, et tres Anonymi apud Theodoretum, per duo crura accipiunt duo praecipua charitatis, scilicet : *Diliges Deum ex toto corde, et diliges proximum sicut teipsum*; per haec enim Christus ambulat in anima, eamque promovet ad calmen sanetitatis.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS.

## De Christo et B. Virgine.

Cassiodorus et Beda per crura Christi accipiunt ejus itinera, quibus in uterum Virginis descendere et pro nobis homo fieri dignatus est; haec fuere marmorea, quia recta et robusta; fundata super bases aureas, quia omnia quae per Christum, vel in Christo agenda erant, divinitatis consilio praedestinata fuere ab aeterno : aurum enim, ut pote praestantissimum, significat Dei consilium. Addit Beda, ut hoc significaretur, idcirco Christo in cruce crura non fuisse contracta, uti fuere latronum.

Rursum, crura B. Virginis fortiter processerunt ad omne bonum, et propulsarunt omne malum : quocirca Damascenus, *orat. De Nativitate Mariae*, ita mores ejus pingit : « *Honestas vestitus, molliem omnem ac luxum fugiens ; gressus gravis ac sedatus, ab omni mollium remotus; mores severi, atque hilaritate temperati. Ita comparata eras, ut nullus ad te viri accessus patret, etc. Animus humilis in sublimissimis contemplationibus, sermo jucundus ex leni animi progressus. Denique quid aliud quam Dei domicilium? merito te *Beata* predicant omnes generationes, ut eximium humani generis deus. Tu sacerdotum gloria, christianorum spes, virginum feracissima planta : per te enim virginum pulchritudo latissime esse diffudit. »*

Rursum, si humiles, si sancti, si apostoli habent pedes marmoreos per fortitudinem fundatos in basi aureae charitatis, multo magis eosdem habet B. Virgo; unde ejus typus fuit columna ignis per noctem, et nubes per diem, deducens et protegens Hebraeos per desertum usque in Terram Promissam : similis enim modo B. Virgo deducit fideles sive devotos per desertum hujus vitae in caelum : ita Patres, inter quos audi S. Epiphanius, *serm. De Laudibus Virginis* : « *Ave, inquit, gratia plena, nubes columna similis, quae Deum habes, qui populum deduxit per desertum.* » S. Hieronymus in *Psal. lxxvii*, ad illa : « *Et deduxit eos in nube Dei, » per nubem, hoc est columnam nubes, intelligit B. Virginem. Andreas episcopus Cretensis, *Orat. 2 De Desipera* : « *O columna, inquit, vivifica, non carnalem per lucem deducens Israelam, sed spirituales, qui deducitur ad inaeffectam lucem cognitionis, divinis illuminans**

facibus. » S. Ambrosius in *Psal. cxviii*, *serm. 6*, sub initium : « *Ille columna nubes, inquit, specie quidem praecedebat filios Israel; mysterio autem significabat Dominum Jesum in nube venturum levi, sicut dixit Isaias, cap. lxx, vers. 1, hoc est in Virgine Maria. Venerabilis Beda in *Exod. cap. xiii* : « *Columna ignis in nocte, ait, est divinitas in carne Virginis Mariae. S. Bonaventura in *Speculo*, cap. III : « *Maria, inquit, nobis columna est nobis, quia tanquam nubes protegit etiam ab aestu divinae indignationis, protegit etiam ab aestu diabolice tentationis. Maria quoque est columna ignis illuminans nos, imo illuminans mundum multis misericordiae suae beneficiis.* » S. Bernardus, *tom. III, serm. 11*, art. 1, cap. III : « *Columna nubes, inquit, aliquando praecedebat, aliquando sequebatur, aliquando superferebatur, ut mystice patrocinia multa B. Virginis indicentur egra populum electorum et omnium christianorum.* » Celebris est Casaravertensis columna, in qua B. Virgo adhuc vivens apparuit S. Jacobo apostolo, indicans se eo loci colli velle foreque Hispaniae protectricem.**

## SPECIES EJUS UT LIBANI, ELECTIS UT CEDRI.

SPECIES EJUS UT LIBANI. — Hebraea, *aspectus ejus ut Libani*; Septuaginta, *αἶς*, id est, *forma ejus ut Libani*. Enarratis nonnullis sponis membris elegantibus, caeterum deinde, ne longior sit, elegantiam verbo perstringit, dicens : « *Species,* » id est forma et pulchritudo ejus est instar Libani : in Judaea enim proberium erat, ut, cum quid pulcherrimum significare vellent, dicerent, « *Pulcher, vel pulchrum est ut Libanus,* » quia Judaea nil pulchrius habet Libano : hic enim omnium Syriae montium est altissimus, amoenissimus et fecundissimus; unde *mons montium* vocatur. « *Nihil Libano in terra reprobationis excelsus est, nec memorosus atque condensus,* » ait S. Hieronymus in *Oss. cap. xiv*; hinc de Ecclesia canit Isaias, *cap. xxxv*, vers. 2 : « *Exsultabit laetabunda et laudans : gloria Libani data est ei : decor Carmeli et Saron.* » Dicitur est Libanus *לבן Liban*, id est *albus*, quod toto anno nivibus in cacuminae albescat; vel *לבנה Libana*, id est *luna*, quod thure, pinis, abietibus, cedris, cypressis, aliisque resinosis arboribus abundet; quarum gummi electum olibanum a medicis nuncupatur. Quare Libanus thuris, resinae, sacchari, olei, etc., est ferax; omne sylvestrium ferarum canoravumque avium genus in eo admodum frequens est. Valles Libani optimo fructu, vineis, pomariis, hortis et uberrimis pascuis abundat; unde in his pascebantur animalia in templo vero offerenda. Denique ex Libano erumpunt plura et magna flumina, puta Jordanis, Chrysorrhoeae, Eleutheris, Leon, Lyons, Adonis et Fons hortorum. Libanus enim oritur a tergo Sidonis, ac versus orientem ultra Damascus tendit 1500 stadiis, ait Plinius, lib. V, cap. xx, hoc est 187 milibus pas-



sum, sive 187 miliaribus Italicis. Vide Oseam cap. xiv, et Adrichomium in Libano.

Porro quia in Libano eminent enodes, imputribiles et odorate cedri, hinc addit *oleas*, id est præstant et excellens, ut *cedri*. Chaldeus ad Libani etymon respiciens, vertit: « Et ipse hæpletur super eos miseracionibus sicut senis, et dealbat peccata domus Israel sicut nivem, et paratus est, ut faciat victor. » In bello contra populos, qui transgrediuntur verbum ejus sicut juvenis fortis, qui robustus est sicut cedri. »

Grammaticæ ergo Salomon sponsus comparatur hic Libano et cedro, primo, ob staturæ proceritatem, hæc enim digna est imperio; unde *statuam imperatorem* vocat Capitolinus in *Pertinace*. Hinc Saul « ab humero et sursum eminebat supra omnem populum. » I Reg. cap. ix, 2. Similiter proceri fuere prisce herosæ et reges, Romulus, teste Plutarcho, Præmas, Hector, Ajax, teste Homero, Julius Cæsar, Tiberius et Domitianus, teste Sæneto. Theodorius, ait Sidonius, longissimus erat brevior, procerior, eminentiorque brevioribus: enormis enim proceritas, qualis fuit Caligula, solet esse mentis inops, hebes et segnis; mediocris vero et justa ingeniosa est et animosa, utpote spiritibus abundans. Hinc Aristoteles, IV *Ethic.* iii: « Pulchritudo, ait, in magno corpore consistit. » Et Virgilius, VIII *Æneid.*:

Sed cunctis altior ibat  
Anchises.

Secundo, Salomon comparatur Libano in amenitate, quia ejus adinstar erat vultu, oculis, totoque corpore decoro, ameno et jucundo. Tertio, in odore, quia instar Alexandri Magni suavissimum ore anhelitus, et e reliquo corpore odorem exspirabat. Quarto, in fecunditate, cum enim mille haberet uxores, plurimos ex eis genuit filios. Quinto, in fabrica, quia Salomon ex lignis Libani edificavit templum, orbis miraculum, indeque ipsum templum vocatur *Libanus*, ut a Zacharia, cap. xi, 4: « Aperi, Libane, portas tuas. »

#### PRIMUS SENSUS

##### ADEQUATUS,

##### De Christo et Ecclesia.

Christus æque, imo magis quam Salomon, fuit speciosus et proceri corpore, puta altitudine septem cubitorum, ait Nicephorus, lib. I, cap. ult.; item amoenus, jucundus, odorato et fecundo filiorum non carnalium, sed spiritualium. Rursum, templum factum ex lignis Libani omniaque ejus vasa typus erant Christi; unde ipse ait Judæis, Joan. ii: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui: » quia sicut templum fuit caput, decus et Sanctum sanctorum Jerusalem terrestris, sic Christus caput, decus et Sanctus sanctorum est: Jerusalem celestis, ait Rupertus. benigne

Christus, *Psalm.* xlii, 2, « speciosus fuit forma præ filiis hominum, » speciosus corpore, speciosior mente, speciosissimus divinitate. Rursum Libanus idem est quod *candidus* et *candidissimus*: quid candidus Christo, qui omnes peccatores in baptismo dealbat, eosque gratia odoratos et virtutibus florentes, honorumque operum fertiles efficit? Ita S. Gregorius, Philo et Richardus Victorinus.

Porro Theodoretus per *Libanum* intelligit thum, ut duplex hic significetur Christi natura, scilicet divina per thum: thus enim Deo adoletur, et humana per cedrum, quæ non sentit cariem nec corruptionem; unde Plinius: « Cedrum commendat æternitas. » Lucas abbas vero: « Species Christi, inquit, fuit ut thus, quia omnis illius actus sacrificium est acceptabile Patri eterno: thus quippe a pontifice super hostiam pro peccato, et holocaustum, quod peculiare erat sacrificium, videbatur imponi, et ipse nihil de contagione peccati conversando inter impios contraxit. » Sic Sapientia, id est Christus, comparatur cedro. *Eccl.* xxiv, vers. 17: « Quasi cedrus, inquit, exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. »

Electus ut enim. — Primo, quia « sicut cedrus pulchrior est et procerior cæteris arboribus, ita et Christo divinitatis gratia (adde et gratia infusa, utpote que fuit gratia capitis derivanda in cætera membra, id est in omnes fideles) præcellit omnes sanctos, » ait Cassiodorus. Secundo, quia cedrus odorata est et imputribilis, sicut et Christus; unde sponsa, cap. i, 3: « Curremus, inquit, in odorem unguentorum tuorum. » Ita S. Gregorius et Philo. Tertio, Lucas abbas censet *cedro* notari Christi humilitatem et patientiam, quæ ipsum exaltavit instar cedri, juxta illud, *Philipp.* i, 8: « Humiliabit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, » etc.

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

##### De Christo et anima sancta.

Anima sancta speciosa est, ut Libanus, ac excelsa, odorata et imputribilis ut cedrus: quia si adhaeremus Christo, per eum sublimes effluimur, ait S. Gregorius, celestes et immortales; unde Rupertus: Christus, inquit, fuit electus ut cedri, quia similis ex-titit patriarchis omnibus, eorum omnium virtutibus decorus, et quia ex ipso sancti omnes, ut cedri o Libano, procedunt. Vide plures analogias cedri et justi, quas recensui *Eccl.* xxiv, vers. 17.

#### TERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

##### De Christo et B. Virgine.

Richardus Victorinus per *Libanum* accipit Chri-

stum, per *cedrum* B. Virginem: « Denique, inquit, ipsa *cedrus*, quas crevit in Libano, id est Christo, et dum Christum ipsa genuit, quasi Libanum cedrus produxit, et mons processit ex arbore, cum Deus prodiret ex homine: hoc est novum et inauditum, quod Deus fecit super terram, ut cedrus proferret Libanum, arbor montem, mulier circumdaret virum, id est Deum, et quem mundus non caperet, hunc virgo in utero suo concluderet. Species itaque Christi sunt virgines, sed beata Virgo specialis ejus, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale vel veniale maculavit; unde speciem ejus Rex celestis concupivit, in ea carnem sumens, amplius hanc speciem decoravit, quia ampliori eum gratia replevit. »

Et post nonnulla: « Ipsa igitur singulariter species Christi, præ omnibus speciosa, Christoque simillima, non solum speciem Christi ipsam habens, sed etiam in aliis hanc restituens. » Denique docet B. Virginem, quæ cum Christo summe se humiliavit, merito humilitatis suæ cum eodem summe fuisse sublimatam: « Exaltata est, inquit, hæc beata quasi cedrus, sublimata est sicut Christus; et si tantum quantum Christus, Christus minimus fuit in regno celorum, id est in præsentis Ecclesie, Maria humilissima fuit omnino quæ fuerunt in terra, ideo ad hoc sublimata summa omnium conciperet, et pareret, et nutret, et nutum fieret. Rursum species *cedrus* Libani consistit in continui germinatione *cedrus*, herbarum, thuris, cedrorum, pinorum, allarum arborum amœnissimarum, summe odoratarum et salubrium. sic species B. Virginis consistit in assidua productione virginum, martyrum, doctorum, religiosorum et sanctorum quorumlibet in humilitate, patientia, odore, mortificatione, et quavis alia virtute præcellentium.

VERS. 16. GUTTUR ILLIUS SUAVISSIMUM, ET TOTUS DESIDERABILIS: TALIS EST DILECTUS MEUS, ET IPSE EST AMICUS MEUS, FILIE JERUSALEM.

GUTTUR ILLIUS SUAVISSIMUM, ET TOTUS DESIDERABILIS. — Hebraice, palatum vel guttur ejus dulcedines, et totus ipse desideria, q. d. Sponsus ita est formosus et gratosus, ut summe sit amabilis et desiderabilis, imo ut ipse unus, non tantum in se desiderium, sed omnium rerum desideria esse videatur: continet enim in se eminenter omne id quod in qualibet re est desiderabile et expellibile, ac rursum nihil in eo est, quod non sit summe desiderabile et concupisibile; hinc Christus a Jacob patriarcha vocatur, *Genes.* xlix, 27, *desiderium collium æternorum*, et ab Aggeæ, cap. i, vers. 8, *desideratus cunctis gentibus*, hebraice *desiderium omnium gentium*; Hebræo consentiunt Septuaginta, nisi quod pro *desideria* vertunt *desiderium*. S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, legit, *gustus ejus dulcedines, et totus concupiscentia*; Vatablus, et *quantus quantus est, res sunt expetibiles*; Arabicus, *anhelitus illius suavitas, et totus est desi-*

*derium*; Syrus, *guttur illius fava dulcissima, et vestimenta ejus desideratissima*; Chaldeus, *suavitatis ejus dulcia sicut mel, et omnia præcepta ejus desiderabilia sapientibus ejus super aurum et argentum*. Per guttur tum anhelitus, qui per guttur e pulmone et stomacho prodit, tum vocem et sermonem intellige. Anhelitus ergo indicat stomachum sponsi cibis odoriferis, et valido calore optime concoctis esse referentum: hi ædum suavem et odoratum exspirant anhelitus; unde vers. 13 dixit: « Genæ ejus sunt areolæ aromatum consita a pigmentariis; » et vers. 14: « Venter ejus ebrius, distinctus saphiris. »

Sensus ergo est: Anhelitus, æque ac vox, vocisque sonus Salomonis, ac multo magis Christi, suavissimus et dulcissimus est, ut mella fundere videatur. « Sic Nestoris oratio erat melis dulcor, » ait Hieronymus. « Vox igitur ejus, ait Pineda, lib. VI *De Rebus Salomonis*, cap. iv, num. 44, non fuit raucescens, quilibet est libidinosorum; non aspera et absona, quas agrestium; non acuta et incensa, quæ timidorum; non gravis et magna, quæ conviciatorum, sed media et temperata, et forte etiam paulo gracilior, sed cum dulcedine et suavitate, » quales Aristotelem et Platonem fuisse scribunt Laertius et Plutarchus, quom dicitur enim signum esse peccati animi, suavitatem et compositum morum. Hanc dulcedinem sponsus aspiravit sponsæ; unde, cap. iv, vers. 11, ait illi: « Favus distillans labia tua; » ideoque ut hanc animæ et spiritus sponsi suavitatem hauriret sponsa, petebat ejus oculum, dicens cap. i, vers. 1: « Osculetur me osculo oris sui. »

#### PRIMUS SENSUS

##### ADEQUATUS,

##### De Christo et Ecclesia.

Guttur, id est anhelitus Christi, notat internos ejus affectus, amores et ardores divinos fuisse suavissimos, imo ipsissimam suavitatem, quæ in verba suavissima erumpebat; hinc et præcepta ac consilia ejus evangelica suavissima sunt, non carni, sed rationi, menti et spiritui: ita Cassiodorus, S. Gregorius, Philo, Theodoretus, Beda et alii; unde S. Gregorius et Philo addunt Novum Testamentum esse guttur Christi suavissimum. Rursum Christus est totus desiderabilis et amabilis, tum quia pulcherrimus, tum quia ipse prior terræ et ardentissime amat omnes homines; unde S. Augustinus in *Psalm.* xlii: « Pulcher, inquit, Deus Verbum apud Deum, pulcher in utero virginis, ubi non amisit divinitatem, et sumpsit humanitatem; pulcher in celo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens omnia, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro. Ibi illum non videbis pulchrum, ubi de-



prehendit injustum : si ubique justus, ubique decorus. »

Si de placenta mellea aut sacchara, si de cibo quopiam vel fructu sapidissimo, v. g. de ficu, que nullas habet acinas, sed tota est edulis et delicata, dicimus : hęc placenta, hęc ficus est appetibilis, tota irritat orexin; si de vino suavissimo, v. g. falerno, cretico, lachryma, moscatelato, quod in terna animę penetrat et oblectat, dicimus : hoc vinum summe est desiderabile, hoc vinum sua dulcedine replet os, stomachum, totumque hominis appetitum; quid dicemus de Christo, qui omne desiderium non tantum satiat, sed et longe superat, qui nectar est et ambrosia angelorum et sanctorum omnium? Si opponas Isaiam dicentem, cap. lvi, vers. 2 : « Vidimus eum despectum, et novissimum virorum, unde nec reputavimus eum; » huic calomnie facile respondet Isaias dicens, vers. 3 : « Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras : atritus est propter scelera nostra, et livore ejus sanati sumus. » Cum ergo lauderis Christum crucifixum, et illius sacrosanctum caput spinis acutissime pungentibus coronatum, oculos vigiliis exhaustos, et lacrymis epuro permixtis suffusos, genas illud suavissimum felle amarissimo oppletum, manus tot miraculorum effectrices clavis perforatas, humeros crucis pondere attritos, tergum flagris discissum, pedes clavis etiam transfixos, et totum corpus vulneribus lividum atque eruentum, merito dixeris Christum etiam in cruce pendentem totum desiderabilem; quoniam membra omnia illa tot cruciatibus affecta, nostre salutis efficacissima quedam medicamenta fere, et media atque instrumenta nostre felicitatis. Est ergo Christus totus desiderabilis : ita Almonacrius; unde S. Petrus ait Christo, *Joan.* vi, 69 : « Domine, ad quem ibimus? verba vite eterne habes. »

Hanc suavitatem Deus et Christus aspirat animę, cum ei interior loquens celestes cogitationes, divinos impulsus, consolationes et amores suavissimos, ideoque inexplicabiles, nec nisi experto cognitos inspirat; unde David, *Psal.* xxx, vers. 20 : « Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tue, Domine, quam abscondisti fimentibus tuis! » et *Psal.* cxviii, 103 : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! » hinc illius avidus Samuel, *1 Reg.* iii, 10 : « Loquere, inquit, Domine, quia audit servus tuus, » ita S. Anselmus, Richardus, Rupertus et alii.

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

##### De Christo et anima sancta.

Viri sancti, pręsertim predicatorum pleni divina sapientia et suavitate, eam eructant, aliisque inhalant, ut mella divina eis instillare videantur, adeoque ut Deus et Christus per guttura eorum

loqui, ac suam suavitatem effundere videatur. « Et ideo, inquit Nyssenus, magnus ille Joannes, rogatus quis esset, *vocem* se appellavit; et beatus ille Paulus documentum edebat loquentis in se Christi, qui vocem suam locaverat, ex quo nimirum Christus fingeret verba. » Nyssenus favebat explicatio Pelli, qui Joannem Baptistam guttur dicit esse Christi, quia ipsius precursor et pręcor, et quasi vox fuit. Concinator ergo, ac vir sanctus assiduus sit in oratione et meditatione, ut spiritum Dei hauriat, quem aliis aspiret, ut ipse velut os et guttur Christi nil leve aut vanum, nisi sanctum, celeste et livinum, a Christo probatum, illique suggestum eloquatur; ut qui eum audit, Christum in eo resonantem audire se aestimet.

Anagoge, beatis vox Dei est suavissima, Deusque ab eis visus totus est desiderabilis, ut preter eum nil cogitare, amare aut desiderare queant. Deus, ait Rupertus, totus est desiderabilis, quia cum habetur, tunc magis desideratur, estque visio ejus in desiderio, et desiderium in visione : visione enim Dei satiantur beati, sed ita ut semper eum ulterius videre desiderent. Visio enim licet duret per millia annorum, tamen in eis non parit fastidium, sed summum cum plena satie desiderium. Audi hic Richardum de S. Victore : « Desiderabile humanitatis ejus visio in terris, sed multum desiderabilior gloriificatio ejus humanitatis in caelis, desiderabilis vultu, quem desiderat universitas civium supernorum; desideratissima vero divinitatis ejus contemplatio, cui omne quod desideratur non valet comparari. » Et B. Petrus Damianus, *Opus.* v, cap. iv : « Totus, inquit, desiderabilis, quia humanitatis ejus mysterium omne desiderium accendit in mentibus electorum, ut eos videlicet non modo resurrectionis gloria provocet, sed ad imitationis exemplum ipsa quoque ignominia passionis invitet. »

#### TERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

##### De Christo et B. Virgine.

Christus si cui mortalium, certe matri suę dulcissima et divinissima loquebatur, tunc voce exterius, tum potius interior in mente : quare ipsa virgines cum eo per triginta annos, prę omnibus hominibus et angelis divinus illius sensus ac celestes dulcedines hauriebat, ut ipsi prę omnibus Christus suus totus esset desiderabilis.

Rursum, in apostolis cęterisque sanctis multa sunt desiderabilia, at non omnia; laboraverunt enim concupiscentia et peccatis venialibus; at B. Virgo tota est desiderabilis, quia omnis concupiscentia et peccati experta, ac gratia omnique virtute plena; unde Damascenus, *serm. De Nativ. B. Marię* exclamat : « O desiderabilis, ac ter beata femina! O divinum simulacrum, ad quod oculus Deus inventus est, mentem quidem divinitus gu-

MULIERUM? QUO DECLINAVIT DILECTUS TUUS? ET QUEREMUS EUM TECUM.

QUO ARIT DILECTUS TUUS, O PULCHERRIMA MULIERUM? QUO DECLINAVIT (Hebraice *MD panu*, id est respexit, ita Septuaginta; Arabice, *discessit*) DILECTUS TUUS? ET QUEREMUS EUM TECUM. — Adolescentula, sive filia Jerusalem, auditis a sponsa signis et notis sponsi, ex quibus eum agnosceant, instant ulterius, rogante qua via suspicetur adliisse sponsum cum se subduxit, ut eadem illuc quarant ipsam comitate.

#### PRIMUS SENSUS

##### ADEQUATUS,

##### De Christo et Ecclesia.

Christus, ut dixi vers. 2, subduxit se quasi ab Ecclesia, cum ob pręlatorum negligentiam, vel pravitatem permisit grassari hereses et scandala, fidemque et pietatem in nonnullis provinciis calcari et pessumdari, uti in Oriente factum est post Constantinum grassante heresi ariana; adeo ut perlique episcopi orientales fereant ariani : tunc enim Christus abiit in Occidentem, atque orthodoxam *Humani sui* fidem et cultum transiit in Italiam, Galliam, Germaniam; unde occidentales, sive latini episcopi orthodoxi, orientales, sive greci ariani constanter sese opposuerunt. Sic Christus ex Africa abiit in Hispaniam, cum illa vastata est, heresique infecta a Gothis, Alanis, Wandalis; sic succedentibus sæculis successive a variis provinciis recessit, ac hoc nostro ævo ex Dania, Suecia, Anglia, Scotia, Saxonia, etc., ob heresim abiit ad Indos, ibique fundavit fidem et pietatem christianam. Tunc ergo filia Jerusalem, id est anima sanctę, presertim doctorum et predicatorum, condolentes Ecclesie de hoc Christi ex provinciis christianis recessu, querunt ab ea, id est ab ejus pręlatis, quo abierit Christus, id est, quo sui fidem, cultum et gratiam transtulerit, ut eam partim ibi stabiliant, partim inde ad suos populos revocent et reducant.

Unde S. Gregorius, Cosmas Damianus et alii hæc accipiunt de Synagoga, id est Judæorum (hi enim proprie sunt filii et filie Jerusalem) conversione in fine mundi : tunc enim ultima erit Ecclesia senectus, que mox ab Elia, Enoch, coronis que ascelsis reformabitur, et renovabitur per Judæorum omniumque gentium fidem, fervorem et zelum; unde tunc invenitur et pascetur Christus et zelum; unde tunc invenitur et impietati usque ad mortem resistent. *Apoc.* xiv, 1 et seq. vide ibi dicta. Consent ergo S. Gregorius et Cosmas hæc esse verba Synagoge audita evangelii predicatione, volentis converti ad Christum in fine mundi, ideoque interrogantis Ecclesiam ubi nam sit Messias, sive Christus Ecclesie sponsus; cui respondet Ecclesia, id est Ecclesie doctores &

boracem habens, ac Deo soli operam dantem, cupiditatem autem omnem ad id quod solum appetendum atque amandum est, intentam, iram vero adversus peccatum duntaxat, ipsiusque patientem. » Deinde id particulatim per inductionem jingulorum corporis, virtutisque ipsius membrorum demonstrat : « Oculi, inquit, tui semper ad Dominum, perineam atque inaccessum audiunt, ac spiritus cithara oblectantur, per quas Verbum varnem assumpturum ingressum est; nares unguentorum sponsi odore delinuntur, quod quidem divinum unguentum est sponte exhaustum, atque humanitatem suam ungens : unguentum enim effusum nomen tuum, inquit S. Scriptura (*Cantic.* 1, 2). Porro labia tibi sunt Dominum laudantia, ipsiusque labris adherentia. Lingua et fauces Dei verba discernentes, ac divina suavitale ad satisfactionem usque fruentes. Cor purum, ac labis expertum spiritum omni carentem cernens, ipsiusque cupiditate flagrans. Venter in quo habitavit is, qui nullo loco capi potest; lactis ubera, que Deum puerum Jesum aluerunt. » Ac paucis interjectis : « Manus Deum gestantes, et genua (throchuberibus sublimior) quorum ope atque adjuvamento manus languentes, ac genua dissoluta robur contraxerunt. Pedes Dei lege tanquam lucera deducti, ac post eam irretorto cursu properantes, quoadque amatum ad amantem pertraxerunt. Tota spiritus thalamus es, gratiarum pelagus : tota pulchra, tota Deo propinqua : ipsa namque cherubinos superans, ac supra seraphinos evecta propinqua Deo existit. O miraculum omnium miraculorum maxime novum! »

TALIS EST DILECTUS MEUS, ET IPSE EST AMICUS MEUS, FILIA JERUSALEM. — Chaldeus, hæc est laus dilecti mei, et hæc fortitudo virtutis Domini dilecti mei, o propheta, qui prophetas in Jerusalem. Concludit sponsa elogia sponsi, hoc quasi epiphonemate, *g. d.* Vos, o filie Jerusalem adjurate a me, cap. v, vers. 8, ut queratis sponsum, qui a me se subduxit, rogastis dotes et signa sponsi, ex quibus eum quesitum agnosceretis possesit, dicentes : « Qualis est dilectus tuus ex dilecto, etc., quia sic adjurasti nos? » Respondi : Dotes ejus vobis hucusque descripsi; scitote ergo talem, tanque pulchrum et eximium esse dilectum meum, quem per plagas et vulnera quero, de cujus absentia doleo, et cujus amore languo.

Notat Cassiodorus Christum dici dilectum, dum Ecclesie et anima sanctę charitatem, qua eum diligit, et vicissim ab eo diligitur, inspirat; amicum vero, dum ei secreta sua communicat, juxta illud Christi, *Joan.* xv, 15 : « Vos autem dixi amicos : quia omnia quecumque audivi a Patre meo, zola feci vobis. »

#### VOX FILIARUM

##### JERUSALEM.

VERS. 17. QUO ARIT DILECTUS TUUS, O PULCHERRIMA



« Dilectus meus descendit in hortum suum, » etc. Id facere cœpere Judæi mox a morte Christi cum misso Spiritu Sancto in Pentecoste, ad prædicationem S. Petri illico compuncti, et conversi ad Christum fuere Judæi, primo ad tria, deinde ad quinque millia, *Act. II, 41, et IV, 4.*

Huc accedit Almonacirius, qui hæc Christi effigie censet describi quadruplicem Ecclesie Christi ætatem et statum, perinde ac in statua Nabuchodonosoris describitur quatuor monarchiarum mundi vicaria ætas et successio, *Daniel. II, 31*: Christus enim et Ecclesia se habent ut caput et membra, ut sponsus et sponsa; quare quod de Christo dicitur, hoc et Ecclesie competit juxta regulam Ticonii. Igitur per aureum Christi caput accipit primam Ecclesie ætatem, quæ fluxit a Christo, usque ad Constantinum, hæc enim fuit felicissima et aurea sub apostolis eorumque discipulis, SS. Dionysio, Clemente, Ignatio, Polycarpo, Justino, Quadrato, Irenæo, etc.; hi habebant oculos *columbarum*, id est limpidos, residentes ad fuenta S. Scripture, atque *capillos fulvos*, quia religiose viventes cœlestem in terris vitam agebant. Hinc successit secunda Ecclesie ætas *eburnea*, a Constantino usque ad S. Gregorium, qui floruit anno Domini 600, qua Ecclesia per omnes gentes, etiam barbaras mire fuit propagata; hæc per *pectus, brachia, ventrem et femora* representatur; ventrem, inquam, non aureum ut caput, sed *eburneum*: cepit namque fulgor ille ardentissime charitatis nonnihil obscurari, quanquam doctrinæ et sapientiæ puritas maxime vigeret, quæ per *ebur* optime exprimitur: refinebat præterea seculum illud multum de pristina illa et apostolica morum integritate; unde *pectus, brachia, manus, venter et femora, auro, gemmis, hyacinthis et sapphis* distinguebantur: fuere namque illa ætate, quæ ipso ebore satis beata erat, SS. Athanasius, Basilus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus et multi alii Ecclesie splendidissima ornamenta. Secundæ huic successit tertia ætas et non jam aurea, nec eburnea, sed *lapidea* instar marmoris quidem, significata per *crua*, constans in fide, sed deficiente charitate frigidior: hoc est a S. Gregorio usque ad tempora Antichristi, quæ a duarum præcedentium fervore multum degeneravit. Quarta et ultima erit tempore Antichristi, sub finem mundi, quando Elias et Enoch Judæos gentesque converterent, summeque eis fervorem et zelum insillabunt: unde hæc notatur per *pedes aureos*. Quare sicut Ecclesia habuit *caput aureum* sub apostolis, sic et desinet in *pedes aureos* sub Elia et Enoch, qui primævum Ecclesie primitivæ fervorem et spiritum tam Judæis quam gentibus restituent: ita ipse. Huc quoque facit versio Chaldaei: « Responderunt propheta, cum audierunt laudes Domini ex ore cœtus Israel, et ita dixerunt: Propter quod peccatum sublata est de medio tui majestas Domini,

o tu quæ pulchra es in operibus tuis super omnes nationes! et ad quem locum declinavit dilectus tuus, quando elevatus est de sanctuario tuo? Dixit cœtus Israel: Propter peccata et rebellionem et prodicionem, quæ inventa sunt in me; diruntque propheta: Nunc convertere ad penitentiam, et surgamus tu et nos, et oremus coram eo, et queramus misericordiam seum. » Notat Beda *terium*, cum aiunt: « Queremus eum tecum; » nam qui Christum, inquit, sine Ecclesia querit, errare et fatigari potest, at invenire non potest.

## SECUNDE SENSUS

## FARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Pœnilens, vel pia anima cognoscens quanta sit pulchritudo et gratia Christi, cum omnibus modis querit, ut eum in dies sibi magis magisque, ac tandem intime uniat, cum eo versetur jugiter, de illo meditetur assidue, etc.; unde invocat filias Jerusalem, id est angelos et sanctos, tum beatos in cœlesti Jerusalem, tum adhuc militantes in terrestri. Hi invocati rogant quoniam abierit sponsus, non quod id ignorent, sed ut indicent animæ querenti, ut recogitabit ubi sit locus sponsi, in quo inveniendus sit, ac si ibi eum quaerat, se eam omni ope adiuturos: si enim eum quaereret ubi non est, puta in voluptatibus, honoribus, opibus, etc., neulquam illi auxiliarentur angeli et sancti, sed in castitate, humilitate, paupertate, mortificatione, mundi contemptu cum vestiget, ubi est et invenitur, tunc utique prompti omnes accurrent, ut illi in quaerendo et inveniendis opitulentur. Sic fecit Magdalena tum pœnitens, cum Christum quaesivit in domo Simonis, ibique pedes ejus lavans et rigans, plenam omnium peccatorum remissionem accepit; tum jam conversa, cum post resurrectionem Christi eum quaesivit in sepulcro, ideoque prima invenit specie hortulani sibi apparentem, colloquentem et consolantem.

Notat Cassiodorus, primo, Christum quandoque subducere se ab anima, vel potius in mente ejus se abstinere, ut ejus virtutem probet, acuat et perficiat; secundo, animam probam quaerere conversationem sanctorum, in quorum anima Christus requiescit, ut Christum in ea inveniat, ejusque participes fiat: sancti enim colloquentur Christum, quem in mente et ore gerunt, audientibus inhalant et inspirant.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Quomodo B. Virgo quaesierit Christum perditum, invenitque in templo, aliaque plura in hanc rem, dixi cap. III, vers. 1 et seq., cap. V, vers. 6 et seq.

## CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Sponsa adolescentulis rogantibus quoniam abierit sponsus, respondet se suspicari cum more suo visse in hortum, ibique pasci inter lilia: ipsum enim hæc delectari, ideoque frequentem esse in horto. Mox sponsus intelligens quanto desiderio eum quaesierit sponsa, quanta in quaerendo passa sit, scilicet flagella, vulnera et spolium, quantæque ei gloria dederit, vicem ei rependit, ac majores ei quam ante laudes dolesque assignat. Id audientes adolescentula, vers. 10, sponsam pulchritudinem admirantur. Inde, vers. 11, ait sponsus se descendisse in hortum, ut fructus inspiceret. Subjungit sponsa se id necesse. Denique adolescentulae sponsam ita laudatam rogant, ut revertatur, sequæ eis videndam et considerandam præbeat, ut in ejus amorem, admirationem et venerationem magis accendantur.

1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum ut pascatur in hortis, et lilia colligat. 2. Ego dilectus meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 3. Pulchra es, amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata. 4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. 5. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis. 6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque oculis tuis. 7. Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus. 8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitricis suæ. Viderunt eam filia, et beatissimam prædicaverunt: reginæ et concubinae, et laudaverunt eam. 9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? 10. Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si florisset vinea, et germinasset mala punica. 11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. 12. Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

## VOX SPONSÆ.

VERS. 1. DILECTUS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM AD AREOLAM AROMATUM, UT PASCATUR IN HORTIS, ET LILIA COLLIGAT.

DILECTUS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM AD AREOLAM AROMATUM, UT PASCATUR IN HORTIS, ET LILIA COLLIGAT. — Arabicus, ut lilia congreget: pro *areolam*, hebraice est *מִטְרָן* *mitran*, quod Aquila et Symmachus *מִטְרָן*, id est *sulcos, areolas*; Pagninus, *lineas sulcorum*; Septuaginta vero vertunt, *philas*, per quas Nyssenus, *hom. 15*, accipit animas sanctas, quæ virtutum aromata proferunt: hæc enim tales sunt, ut sapientiæ crateres factæ, divinum et incorruptum vinum in se suscipiant, per quod omnem consequantur lætitiâ; unde S. Hieronymus, *Psal. xli, 1*, pro eo quod Septuaginta vertunt, *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus veritatis, sicut areola preparata ad irrigationes aquarum, sic anima mea preparata ad te, Deus*. Vide dicta cap. V, vers. 13. Sponsa adolescentulis, interrogantibus quoniam abierit sponsus, respon-

det eum abisse in hortum suum: ita S. Gregorius Nyssenus, Theodoretus et alii. Nominat primo *hortum*, deinde *hortos* in plurali, quia sicut in magno vastoque horto plures sunt minores, sic in una generali Ecclesia multæ sunt particulares: ita Gregorius, Beda et alii.

Hæc sponsa indicato adolescentulis sponsi loco, quod scilicet esset in horto suo, illico eo cum ipsis profecta est, ibique sponsum inveniens, ab eo excepta et laudata est, cum dixit: « Tota pulchra es, » ut audiemus vers. 3; in drama enim verbalis actiones silentur, eæque ex sequentibus legentibus intelligendæ relinquuntur.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Christus suam fidem et pietatem ab arianis alisque impiis in Oriente exclusam transiit in Occidentem, a Græcia in Italiam, ab Africa in Hispaniam, ab Asia in Indiam; maxime vero in fines mundi eam ab omnibus provinciis transferet in